

CLASSIS I.

DE

Origine, Definitione, & variis Unionis Significationibus, ejusque cum Adoptione con- & disconvenientiis.

Unionis vocabulum varias in Jure nostro significationes patitur; sic beneficia Ecclesiastica Uniri dicuntur, de quo est *Text. in cap. sicut uniri. ext. de excess. pralat.*

Sic Jurisdictiones, Castra & Territoria uniri sive incorporari inquit *Mev. p. 2. decis. 185.*

Aliquando & duæ actiones ita inter se uniri dicuntur, ut unius vis & effectus in alteram coalescat, *L. un. §. 2. C. de rei uxor. act.*

Verum hæc aliæque Unionis significata huc non pertinent, ubi verbum Unionis ita capimus, ut Unio Prolium sit: *Actus legitimus, quo diversorum Matrimoniorum Liberi quoad Parentalem Successionem ita inter se parificantur, quasi ex eodem nati essent Matrimonio; ita ferè Hopp. ad Inst. princ. de adopt.*

De Origine hujus Unionis scripsit *Rick. de Union. Procl. cap. 2. per totum.*

Illud certum est, quòd hoc Pactum Romanis Legibus non tantum expressè inductum non sit, verum etiam vix ac ne vix quidem cum iis conciliari possit, cum illo Jure Pacta Successionis futuræ præsertim acquirendæ adeo sint improbata, ut nec jurata valere dicantur *L. 19. §. ult. C. de Pact. Müller. ad Struv. exercit. 3. Thes. 66. lit. A.*

Quid-

Quidquid sit; & utrum hujus Pacti cum Legibus scriptis compositio quam tentat *Rick. loc. cit. cap. 3.* sit fundata? non moror, cum Pacta Unionis inveteratâ totius Germaniæ consuetudine adeo sint corroborata, *Rick. cap. 3. n. 42.*

Particularibus plurimorum locorum Statutis stabilita *Ord. Col. tit. 10. Stat. Jul. cap. 76.* Imò in Imperiali Camerâ confirmata teste *Gail. 2. Obs. 125. n. 7. § seq.*

Ut de horum Pactorum con- & discordantiâ cum Legibus Romanorum scriptis disputare nec operæ pretium, nec mens mihi sit.

Interim tamen negandum non est, quin hæc pacta cum adoptionibus Jure Romano plus, quàm Germanico frequentatis proximam habeant affinitatem *Forster. conf. Marburg. 8. n. 2.* ut nonnullas inter se con- & disconvenientias assignando patebit.

Conveniunt itaque

1^o Imò quòd sicut adoptio ratione quidem Originis Juris Gentium ratione formæ autem Juris Romano-Civilis rectè dicitur *Hopp. ad Inst. prin. de adop.* ita & pactum Unionis tacitâ quidem consuetudine inductum, at expressis postea diversorum locorum Statutis corroboratum sit.

2^o Quemadmodum Vitricus privignum adoptare *L. 32. §. 1. ff. de Adopt.* ita & eum sibi unire potest. *Bocerus Classe imâ. disp. 12. n. 2.*

3^o Quemadmodum Adoptio solenni Juris ordine apud Pæfidem perfici *L. 1. § 4. C. de adopt.* ita & Unio non intra domesticos parietes, sed interveniente Judicis cognitione celebrari debet.

4tò Sicut adoptivus in adoptantis extranei potestatem non transit §. 2. *Inst. de adopt.* ita nec Unius in Unientis Virtrici potestatem per hoc redigitur.

5tò Quemadmodum quis semel in Adoptionem consentiendo non potest eam solo suo arbitrio retractare *L. 31. ff. de Adopt.* ita nec is, qui semel Unioni consensit, postea eam suâ solâ voluntate revocare potest. *Arg. L. 5. C. de oblig. & act.*

Disconveniunt autem

1mò Quòd adoptio scæminis non liceret, nisi ex Principis Indulgentiâ in solatium Orbitatis. §. 10. *Inst. de adop. ibique Vinn.*

Mater tamen Unionis celebrandæ incapax non est, quia non tam potestatis patriæ, quàm futuræ successionis ratio habetur *Klock. tom. 3. cons. 160. n. 54. & 55.*

2dò Adoptans adoptandum plenâ pubertate præcedere debebat *L. 40. §. 1. ff. de adopt.* quod in Unione, ubi tam stricta ætatis ratio non habetur, cessat *Musculus. de success. conv. memb. 3. n. 31.*

3tò Adoptio non nisi natorum fieri poterat, *Arg. L. 2. C. de adopt.* at unio etiam in nascituris locum habet *Rick. cap. 9. n. 41.*

4tò Uxor Adoptantis adoptato non est Matris loco, Adoptantis tamen Filia Adoptato Soror est. *L. 23. ff. de adopt.* In Unione Prolium contra servatur, ut Mater adscita quoad Successionem pro vera habeatur, at Soror adscititia pro Sorore non habetur.

5tò Cum Sorore Adoptivâ stante adoptione Matrimonium contrahi non poterat. *l. cit. ff. de adopt.* Ast Unitum inter & Unitam, si comprivigni quidem fuerint, Matrimonium stante etiam Unionis vinculo celebrari nihil vetat *Rick. cap. 9. n. 51.* ubi plures Adoptionem inter, & Unionem differentias refert.

CLASSIS II.